

SPECIMINIS ACADEMICI,
DE REVELATIONE,
PARS PRIOR, SIVE PHILOSOPHICA.

GUJUS CONTINUATIONEM ALTERAM,
CONS. FAC. PHIL. IN REG. ACAD. ABOËNSI,
PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERUNT

FRANC. MICH. FRANZEN,

PHIL. PRACT. ET HIST. PROF. REG. ET ORD.

ATQUE

GABRIEL HIRN,

STIP. REG. TAVASTENSIS.

In Audit. Maj. d. 8 Junii 1803.

Horis a. m. consuetis.

ABOÆ, typis FRENCKELLIANIS.

idea sola virtutis contemplanda, finem destinationis suæ obtinere possint.

§. 6.

Sed nimis forte, adeoque nihil, hac argumentatione probasse tibi videamur. Inde enim colligi posse dicas: apud gentes, qui revelatione caruerunt, nullam extitisse virtutem & religionem; quod vero asseratum non modo profane historiæ, sed sacræ etiam scripturæ testimonio repugnat, Rom. 1. 19. 21. 2. 14, 15. Apost. 14. 17. 17. 24-28. Deinde si revelatio adeo necessaria fuerit, ut nulla ratio humana ea carere posset: iustitiae divinæ vix convenerit, ut unica tantum parvula gens ante Christum natum, postea autem non nisi minima pars terræ, ea adhuc illustrata eset.

Sed observandum est: nos revelationem cuique cogitantibus tantum necessariam statuere, si ipse sentiat, experientiam ordinariam non sufficere ad necessarias illas rationis suæ ideas de virtute & Deo objective confirmandas. Virtus autem & religio non pendent ab ipsa cognitione, quæ per se vel manca vel falsa omnino esse potest (Rom. 2. 11, 12, 13.) Sic Codrus, qui aliud non cognoverat numen, quam deos potentes, sapientes & bonos, sed neque sanctos neque fati dominos, quales in externa rerum natura apparuerent, cum morti pro patria se devoveret, & honeste & religiose egit, et si falso credidit oraculo. Neque homines, qui mortuorum apparitiones veras fuisse crediderunt, alio de immortalitate animi testimonio externo opus habuerunt. Quin, culturæ philosophicæ gradus existit, in quo necessitas revelationis non sentitur. Ille vero non est summus, neque in eo manere potest ingenium humanum. Sic Socrates, cum sibi persuasisset, ideas, quas de summo bono, sanctissimo numine & animi immortalitate formaverat, e contemplatione mundi sensibilis realem ob-

finere veritatem: in doctrina sua religioso-morali, ista persuasione fundata, acquiescere potuit. Non tamen perfecte acquieavit. Sensit enim acutus vir infirmitatem objectivi persuasionis fu^e fundamenti: practicam vero necessitatem & usum ideo^r suarum respiciens, a d^emon^e eas sibi inspirari creditit. Quas deinde Plato a divina mente in humanam emanatas, & notionibus empiricis non modo anteriores, sed reali etiam certitudine praeitantiores esse statuit, ut ita virtuti & religioni objec^vam conservaret veritatem. Tanta enim est virtutis & religionis in animos hominum vis, ut illas firmare studentes, fulcrum illis adhibeant sicutum, nec nisi phantasie, ingenio & arti debitum, potius, quam eas dilabi finant. Minime igitur negamus: omni tempore & apud omnes gentes, et si sola natura & ratione institutas, talem existisse virtutem, & quidem religiosam, qualis ab homine viribus naturalibus praestari potest. Atque nos ipsi, quamdiu, phantasie & animi juvenilis pura & vivida face novas nobis res gratissimo splendore perfundente, persuasi manemus: cum pulcherrimam ac sublimem cœli & terræ faciem veram nobis ostendere imaginem sanctissimi numinis; tum perfectam illam humanitatem, cuius ideam innocentia nostra, nondum tentata, sibi concepit, apud homines, in terra viventes, revera existere: tamdiu alia non egemus revelatione, tamdiu haec in Deum & virtutem fides sola nobis sufficit. Postquam autem, quod cito eveniet, experti sumus, neque nos iplos, neque alios homines picturæ illæ ideali similes esse: facile, in scepticismum moralem proni, vacillamus, nisi doctrina de Christo ejusque regno morali novam omnino nobis faciat de veritate virtutis persuasionem. Simili modo, si subtilior meditatio nos docuit, ab ideis, quantumvis habeant in cogitando necessitatem, ad res non valere conclusionem, atque diligentior externæ naturæ consideratio nobis ostendit, hanc ideas illas, quibus omnis nostra ntititur virtus & religio, non confirmare: in religiosam incidamus necesse est dubitationem,

quam

quam maxime periculosam, nisi ad revelationem confugiendi felicissimam nobis dederit divina providentia occasionem. Cui enim credamus: rationi an experientiae? Cum conciliari nequeant, in unum vel alterum extremum ruere nos oportet: vel vanam frusta persecuturos ideam, vel sensuum servituros imperio. Ita omni tempore evenisse, historia docet. Postquam e. c. in fundamenta disciplinæ Sacraticæ subtilius inquirere posterior inceperat philosophia: ratio humana, sibi relata, non potuit evitare, ne aut in Epicurœa prudentia, quæ, virtutem nîl esse nîl artem vita terreltri quam jucundissime fruendi, sibi persuasit, aut in arrogantia Stoica, quæ dolores, mortem, totam denique naturam se sua fortitudine superare posse jactavit, temere acquiesceret. Neque tamen in his extremitatibus sibi ipsi satisfacere potuit. Aliquid enim sapientiæ suæ dresse, & Epicurus & Stoicus non potuerunt non sentire: ille, cum natura & fortuna omnem suam prudentiam irritam redderet, aut mors saltem voluptatem ejus finiret: hic cum apathia sua ad omnia vel perpetienda, vel peragenda, quæ sapientem decerent, nullo modo sufficere posset.

Ex his autem elucet: alterum quoque argumentum, quo hodie contra defensores revelationis adversarii ejus frequenter utuntur, (inde scilicet petitum, quod minima pars hominum ea vel olim fructa sit, vel adhuc fruatur), et si magni sit momenti ad refellendam theoriam Fichtii & ceterorum, qui revelationis necessitatem eo solo fundant principio, quod totæ gentes omni destitutæ notione & sensu morali aliter educari non possint, contra nos nihil valere, qui statuimus: rationinem maxime exultam: ea maxime egere, quia maxime dubitat. Haud quidem negamus, magnam esse veræ revelationis vim ad homines rudes etiam docendos & educandos; sed omnis religio positiva, sive vere divina sit, sive pro divina venditetur, modo rationi politicæ & juri naturali conveniat, ad hunc sufficit finem. Quamdiu gens quædam
bar-

barbara manet, externis tantum adminiculis ad legalitatem solam educari potest. Ne Israëlitis quidem agrestibus & incultis revelatio per Mosen facta, et si vere divina, ad virtutem internam efficiendam adeo apta esse potuit, ac deinde per Christum cultioribus hominibus facta est. Neque ad rem publicam Judaicam magis, quam ad ceteras antiquas civitates constituendas & gubernandas vera revelatione opus fuisset: nisi consilium providentiae divinæ id intendisset, ut Theocratiæ externæ interna quoque ad moralitatem institutio conungeretur, quæ tamen non nisi per Christum perfecta est. Externi enim iuriis principia in societate civili æque se probant, ac principia mathematica in praxi mechanica. Si igitur nisi aliud spectatur, nisi civium securitas & ordinis civilis conservatio: id politicis tantum adminiculis, vi cogentibus, obtineri fere potest: modo plurimi taliter civium ea imbuti sint cognitione, ut ipsi judicare possint, quibus vinculis necessarii iuris externi societas civilis continenda sit. Adeoque, quamvis magna sit vera revelationis ad civilem quoque ordinem conservandum auctoritas: male tamen pretium ejus estimant, qui illam pro politico tantum instrumento habent. Num minor fuit in patriam amor & virtus civilis Græcorum, qui immorales coluerunt deos, quam nostratum qui sanctissimi numinis puram habent cognitionem? Num ideo in mundum Christus venit, ut externum institueret jus, quod in omni societate omni tempore magistratum potentia executa est? Nonne id potius ex precipuis ejus consiliis habendum est, ut de civili judicio, cuius summum jus non raro summa est injuria, homines consolarentur: docens scilicet, alium esse judicem omniscium & omnipotentem, qui corda & renes terutatur, & internum & sanctissimum in alia vita judicium feret? Hoc quidem gentiles etiam aliquo modo crediderunt: sed quam incertæ auctoritati confisi! Qui vel paululum cogitavit, facile perspexit, forum Minois e. c. & Rhadamanzi non esse nisi yanum & puerile

poëtarum figmentum. Similiter auguria oracula & cetera gentiliu[m] instituta religiosa non potuit non contemnere & odio habere, quicunque honestior & cordatior veritatem amat. Exculta igitur ratione humana, aut omnis mittenda erat religio positiva, aut ea querenda, quæ indubius probare posset argumentis, se esse vere divinam ¹⁾). Præclarum ideoque hoc etiam habemus signum curæ singularis, qua providentia divina christianam religionem distinxit, ut Christus eo potissimum tempore doceret, quo ratio humana, in orbe Romano maxime quidem exculta, sed ob perpetua philosophiae disfidia & horrendam morum corruptelam de omni fere cum veritate tum virtute desperans, doctrinam suam maxime desideraret atque optimè estimare posset. Hodie similiter major, quam unquam, tentienda est necesitas revelationis: cum nova demonstraverit philosophia, omnia pro Dei existentia & animi immortalitate argumenta theoretica ita evidenta & apodictica non esse, ac plurimi hucusque crediderunt, illius vero adversarii probare pergent, morale fundamentum, quo illa religionem superstruxit, non magis sufficere. Nos certe credimus, religioni christianæ novissimam hanc in orbe philosophico revolutionem non modo non obfuisse, sed dupli etiam modo ad divinitatem ejus confirmandam conduxisse: primum quia dogmaticam rationis humanæ insolentiam, meritis suis ideis nimis credentis, deprescit, & ad realem illis querendam veritatem coëgit; deinde quia Epicureismum debellavit, quo systematice constituto & sibi ipsi consentiente, nulla sane prudentioribus hominum opus eslet religione.

E

Ve-

¹⁾ Omnibus tamen, qui in hoc venerunt dilemma, occasionem non non fuisse datam, veram accipendi revelationem, jure quidem observes. Sed facile hæc quoque objectio cadit, si notatur: 1:o non omnia individua finem generis in terra obtinere; 2:o singulos homines in altera vita perficere posse, quod in hac non nisi inceptum erat.

Verum enim vero hic aliquis observet: Dei saltem existentiam ante demonstratam esse debere, quam divinæ revelationi credi posit. Difficillima quidem primo adspectu hæc videtur esse objectio. Sed tollitur difficultas, si inter logicam & realem demonstrationem justa sit distinctio. Nam Dei rationi humanae non modo non contrariari, sed etiam ita necessariam esse, ut eam non possit non cogitare: id certe demonstratum esse debet, antequam de revelatione mentio fiat: neque illum est sani judicii dubium, id demonstrari posse, & demonstratum esse. Postea autem ad realem persuasionem, deum revera talem existere, qualem sibi ratio concipit, empirica desiderantur argumenta. Cum igitur pars univerbi, quam nos cognoscimus, ad hanc demonstrationem non sufficiat: revelatione opus est, quæ deum esse ita probet, ut observatio v. c. novæ planetæ astronomis probat, illam revera in ea cœli parte splendere & moveri, ubi a priori jam idealem ejus sibi conceperant existentiam. Si primum contemplatio ordinis & finium, in mundo nostro physico apparentium, indubium nobis reddit: esse causam intelligentem, quæ illum effecit & gubernat, de qua ceterum ignoramus, an sit una vel plures, finita vel infinita; cur deinde revelationi non credamus, eandem intelligentiam esse omnium rerum æternam, omnisciam, omnipotentem, sanctam, verbo infinitam creatricem & gubernatricem, h. e.: Deum, quem ratio cogitat, revera exultere? Modo conitetur, doctrinam, quæ hoc & cetera positive statuit, originem suam talibus debere viribus, quæ omnem superant prudentiam & potentiam humanam, nec nisi ad communem illam causam, quæ omnem hanc visibilem rerum naturam dirigit, postremo ordine referri posunt.

CAP. III.

De probabilitate revelationis morali, physica & historica.

Ut vero a cognitione, quam externa rerum natura omni tempore & in omnibus terræ locis hominibus offert, revelatio, de qua hic loquimur, extraordinaria ^{t)}, vere discernatur: proximum naturæ ordinem, cuius physicam reddere rationem homines sciunt, superet, necesse est; ex quo scilicet eam non obtineri notitiam, quæ rationi humanæ necessaria est, observavimus. Multi autem hodie contendunt, neque moraliter neque physice possibilem esse revelationem.

§. 1.

Moralem ejus necessitatem, ideoque possibilitatem, ex iis, quæ supra diximus, satis elucidare speramus. Duas tamen adhuc repellamus objectiones. Una est: quod revelatio videatur esse quasi mutatio, vel reparatio saltem, creationis per se imperfectæ: quod vero de opere entis infiniti cogitari nequit, cum e contrario omnipotentia & sapientia ejus dignum fuerit, hanc rerum naturam ita instituere, ut illa omnem nobis necessariam notitiam auctoris sui ejusque voluntatis, sine adveniente nova institutione, præberet. Sed si æternum erat tale creatoris consilium, ut revelationem generi humano tempore,

E 2

^{t)} Jure SEILERUS I. c. Vol. I. p. 54. commendat, ut revelationem neque *immediatam* neque *supernaturalem* appellemus. Si vero placet: omnem dei mortalibus manifestationem revelationem nominare: *specialis* & *extraordinaria* hæc vocetur, de qua hic agitur. Sic magna evitatur confusio & logomachia. *Specialis* & *extraordinaria* potest esse revelatio, quæ neque *immediata*, neque *supernaturalis* est.



pore, quo hoc illa egeret & uti posset, mundus hic, nobis appa-
rens, suppeditaret: ea facta, neque mutatus neque reparatus
est æternus universi ordo, in prima jam creatione ita institu-
tus, ut in terrestri orbe phænomena illa extraordinaria ori-
rentur, quæ eam divinam esse ostenderent. Quantilla univer-
si particula est hæc terra? Num illius ordinem mutatum cre-
dere debemus, si in hac insoliti aliquid evenerit? Disparuisse
dicuntur e cœlo sidera aliqua, olim observata: num hæc re-
volutio cœlestis mutatio habenda est, deo indigna, universa-
lum naturæ legum? — Quid vero ad posterius objectionis
momentum attinet: intelligere nequimus, quomodo ens infinitum & universi creator in externa rerum natura ejusque par-
ticula, quam mortales cognoscunt, illis apparere poslit. Non
nisi cogitari potest Deus, ideoque etiam notitia ejus non nisi
a cogitante cogitanti tradi. Signa vero cognitionum alia non
habemus, quam verba & litteras. Num igitur aliter fieri po-
tuerit, ut cognitio dei (præter idealem illam, quæ e mente
humana evolvitur) ab ipsa natura ejusque auctore & guber-
natore ad homines perveniret, quam si doctor surgeret, ad
homines divina legatus auctoritate?

Altera objectio continet: fide in revelationem divinam,
eujus est positiva auctoritas, moralem hominis libertatem im-
pediri. Sed non impeditur: agnitus enim auctoritatis a libe-
ra pendet persuasione. Ne miracula quidem a legato divino
patrata, etiæ admirationem excitant, & signa sunt virium non
mere humanarum, nos tamen vetant, ne doctrinam suam ex-
aminemus, an rationis nostræ de Deo & lege morali ideis con-
veniat, nec ne? Ratio scilicet & theoretica & practica fidei,
revelationi habendæ, viam quasi in animo nostro preparat,
necessæ est. Non quidem negamus, multos homines, qui non
nisi prodigia respicieunt, ad id credendum & agendum, quod
illis significatur, sensuali tantum causa moveri. Sed hos quo-
que, ad legalitatem saltem, cum ad mortalitatem nondum ma-
turi

fari sint, religio positiva plenius & melius dicit, quam vis sola imperii civilis. Nobis ceterum, qui miracula ipsi non spectamus, sed narrationi tantum confidimus, libertatem moralem minime laedunt. Cur enim credimus, ea esse vera? Non ob historicam tantum fidem, sed ob moralem etiam rationem: quod doctrinam confirmant veram & salutarem, quod Deo digna, ad consilium nempe Deo dignissimum necessaria, nobis videntur.

§. 2.

Physicam deinde revelationis possibilitatem festinanter spelemus. Magnas quidem in ea statuenda inveniunt difficultates philosophi hodierni: quæ facili tamen negotio tolluntur, si definita fuerit forma illa mirabilis, qua revelatio a cognitione mere naturali differt. Si id mirabile esse dicitur, quod Deus aut immediate inter homines efficiat, aut legibus universæ naturæ a fe creatæ contrarie agat, tale aliquid numquam existere posse, libenter concedimus: contrarium enim est ideæ entis infiniti, quod neque hominibus immediate apparere, neque sibi ipsi contradicere potest. Si vero intelligitur factum, cuius causa proxima, hunc transcendens naturæ ordinem, quem humana scientia explorare valet, ex eo explicari nequit: ejusmodi prodigijs physicam negare possilitatem, summa foret temeritas judicij humani. Num omnes naturæ vires, vel terrestres, ab hominibus cognitæ sunt, vel cognosci possunt? Num leges fortunæ, ita ut leges motus, ullus mortaliū definire valuit? Caveamus, ne regi Indico similes simus, qui Europæ incolam, ut mendacem, ex aula sua ejecit, cum narraverat, aquam in septentrione, certo anni tempore ita ducescere, ut homines & jumenta & onera portet.

Si divinam non negas providentiam, quæ omnia in moralē dirigit finem ²⁾: cur neges, illam consilia sua, quæ ex;

²⁾ Si Deus creditur, qui moralem gubernat mundum, certe physi

perientia ordinaria cognosci nequeunt, eventibus extraordina-
riis humano generi patefacere posse? Vel in communi vita
invisibilem observare manum nobis videmur, quæ non forte,
sed consilio occulto, res nostras dirigit; nec raro nobis persuad-
emus, hunc vel illum casum ad hunc vel illum moralem si-
nem quærendum, nomine quasi summi numinis, tuta tamen li-
bertate nostra, nos monere & excitare. Ita revelatio quedam,
individualis etiam, existere potest; in qua vero credenda &
adhibenda superstítio evitanda est, omnia scilicet ad morale
judicium sanæ rationis referendo. Revelatio autem, de qua
hic agitur, non individua, sed totum spectat genus hu-
manum. Quam doctrinam, in hoc educando, providentia di-
vina speciali adhibuit cura, eam esse vere divinam: nullum
esse potest dubium. Signa autem, quibus numen sapientissi-
mum in declaranda divinitate doctrinæ aliquius utatur, pro di-
versa ingeniorum cultura, quibus annuntiatur, diversa sint, ne-
cessse est. Aliud enim eruditio, aliud plebi est mirabile. A-
liud Judæi, aliud Græci in religione Christiana admirati sunt.
Illi portenta ad stupebant: hi autem excellentiam doctrinæ, quam
viri indocti profitebantur. Multa in bibliis sacris nobis præ-
ignorantia linguae, morum, institutorum, opinionum antiqua-
rum, prodigiora videntur, que illius temporis hominibus, quo
res eveniebunt, vulgaria fuerunt. Multa illis præ ignorantia
cen-

etiam dominus habendus est, ut hunc illi conciliare possit. Qui
vero divinam providentiam ex eo capite negant, quod rerum na-
tura, suis subsistens viribus, ea non egeat: illi æternum omnium
rerum creatorum cum artifice terrestri confundere nobis videntur,
qui & in tempore agit, & viribus utitur naturalibus, ante artifici-
um compositum agentibus, neque, eo destruccióne, cessantibus. O-
mnes autem naturæ vires, si a Deo primam suam originem ducunt,
a Deo etiam sustinendæ sunt. Quod nobis, qui in tempore vivi-
mus, successive fieri videtur: cum apud deum ipsum (si cogitatio-
nem nostram tam alte intendere audeamus) coincidant creatio &
gubernatio, utraque forte, ut ille ipse, æterna.

causarum physicarum mirabilia erant, quæ nobis quotidiana sunt. Ut revelatio quædam extraordinaria sit, sufficit, historiam ejus res continere, peculiari divini numinis consilio ita institutas & connexas, ut causæ earum proximæ humanam superent directionem, atque admirationem movendo, mortalibus persuadeant; manum illam cœlestem, quæ omnem gubernat rerum naturam, doctrinæ ita patefactæ, cuius veritatem & moralém præstantiam ratio non potest non approbare, sigillum impressissæ divinæ sive auctoritatis.

§. 5.

Postremo autem aliquis observet: revelationem, etsi & moraliter & physice possibilem, non nisi historicam efficere fidem, omnia vero historiam esse incertam, illam in primis, quæ solitum transgreditur naturæ ordinem.

Non negamus, aliam esse de facto historico, aliam de thesi logica sive mathematica persuasionem. Num vero ad *realēm* cognitionem ullam habemus viam præter historicam? Aut nostræ credimus experientiæ, aut alienæ. Utraque quidem nos fallere potest; sed examinanda est veritas, & criticis rationibus confirmanda. Quis nostrum non æque certus est, Apostolos Petrum & Paulum existisse, quam duo ad duo addita facere quatuor?

CAP. IV.

De criteriis & definitione revelationis.

§. 1.

Exposita igitur, quantum nostris viribus & hac occasione fieri potuit, & necessitate & possibilitate revelationis: criteria, quibus vera a falsis discernatur, inde facile colliguntur. Quoad *formam*, primum *historicæ probabilis* sit, ut vera oriatur in facta empirica fides; deinde *positiva*, h. e. divina auctoritate omnem suam fundet doctrinam, ne scilicet cum *hus,*



humana confundatur institutione: ideoque *mirabilis*, signo quodam sensuali ac singulari providentiae divine distincta, quo^d nulla sapientia & potentia humana efficere valuit; tum vero *popularis*, ut ad omnes pertineat homines, ne arcanum fiat & politicum institutum vel sacerdotum & mystagogorum, vel magistratum & optimatum. Quoad *materiam* vero: primum nihil continet, rationi directe contrarium; nam idem est rationis & revelationis auctor, qui sibi ipsi contradicere nequit. Sed eti^m nihil *contra*, aliquid tamen *supra* rationem continere potest. Deinde, cum una sit ratio theoretica ac practica, hujusque idea moralis a religiosa illius non magis separari possit, quam hac ab illa (§. 6.): coincidunt, necesse est, in revelatione, utramque confirmatura, questio[n]es practicæ & theoreticæ: ita scilicet, ut omnis theoria moralem spectet finem, omnis vero praxis religionem habeat causam. Quo facto tria oriuntur in revelatione capita: primum de Deo, moraliter spectato: alterum de virtute hominis religiose definita; tertium de vita futura, conjunctæ rei moralis & religionis sequela. Præterea autem, cum revelatio homini necessaria sit, quatenus sensibus est praeditus, & ad agendum in orbe physico natus: exspectandum est, ut ea ideas rationis non confirmet tantum, objectivam illis induendo veritatem, sed in sensus quoque efficaces reddat, ad vincula offerendo sensualia, sed moralia tamen, adjuvandi ad virtutem & consolandi animi humani, honeste nitentis, sed lapsu frequenti, saepe desperantis.

§. 2.

Liceat igitur nobis revelationem ita definire, ut sit: *traditio historica, viribus non mere humanis effecta, doctrina popularis, quæ virtutis & religionis objectivam veritatem & practicam efficaciam, divina auctoritate, positive constituit,*